5. 3

EXCURSIO IN ANTIQUITATES AD

SERVI MEDICI APUD GRÆCOS ET ROMANOS CONDITIONEM ERUENDAM

Oder:

Was es mit der Knechtschaft derer Aertzte bey denen Grichen und Römern vor eine Bewandniß gehabt hat.

QUAM

PRÆSIDE

D. IOANNE HENRICO SCHULZE

MEDICINÆ ELOQUENTIÆ ANTIQUITATUM ET PHILOSOPHIÆ PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO

ACADEMIÆ CÆSAREÆ NATURÆ CURIOSORUM ET REGIÆ SOCIETATIS SCIENTIARUM BEROLINENSIS SODALE

PRO GRADU DOCTORIS

PUBLICE DEFENDET

a. d. Aprilis MDCCXXXIII.

HIERONYMUS BERNEGAU

HOLMIA SUECUS.

HALAE MAGDEBURGICAE

Typis IO. CHRIST. HILLIGERI, Acad. Typogr.

S.um R.um M.um SVECIÆ

ARCHIATRO PRIMARIO REGII COLLEGII PRÆSIDI

ATQVE MEDICINÆ DOCTORI

NOBILISSIMO ET EXPERIENTISSIMO VIRO

DOM. IO. HENRICO WOLLHVN

GENEROSO ET NOBILISSIMO VIRO

DOM. IO. CHRIST. NORDENHEIM

M. D. Archiatro Regio & Regii Collegii Medici Assessori.

NOBILISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO VIRO

DOM. NICOLAO BOYE

M D. Regii Colleg. Medic. Assessori vi & Poliatro Holmiensi.

NOBILISS. EXPERIENTISSIMOQVE VIRO

DOM. CAROLO ALSTIN

M. D. Regii Colleg. Medici Assessori & Medico Aulico.

NOBILISSIMO EXPERIENTISSIMOQVE VIRO

DOM. EVVALDO RIBE

M. D. Archiatro Regio atque Practico Holmiensi.

NOBILISSIMO EXPERIENTISSIMOQVE VIRO

DOM. CONSTANTI SOEM

M. D. Regii Colleg. Med. Assessori & Medico Aulico.

NOBILISSIMO EXPERIENTISSIMOQVE VIRO

DOM. ERICO VICTORINO

M. D. Regii Collegii Medici membro & Practico Stockholmiensi.

VIRIS

VIRIS

PER OMNIA OPTIME MERITIS

ARTIS ASCLEPIADEÆ COLVMNIS

FIRMISSIMIS

DOMINIS MÆCENATIBVS ET PROMOTORIBVS

OPTIMIS MAXIMIS

DISSERTATIONEM HANC INAVGVRALEM

QVO DECET OFFICIO

D. D. D.

TANTORVM NOMINVM OBSERVANTISSIMVS

CVLTOR

HIERONYMVS BERNEGAV.

Q. B. F. Q. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

SERVIS MEDICIS.

PRAEFATIO.



Vo præcipue ſunt, quæ medicis ſolent obiici ab illis, qui ordini huic ægre facere præclarum putant: alterum quidem, quod Romæ omnes in exſilium pulſi, vrbe illa per ſexcentos annos caruerint; alterum vero, quod medicinam Romæ quondam ſerui tantum exercuerint. Priorem quidem calumniam, qua nihil forte vmquam impudentius propalatum, nihil imprudentius creditum & propagatum fuit, maſcule iam repulit CAROLVS DRELINCVRTIVS, edita cIↄ Iↄc lxxi. *apologia medica:* alteram vero exprobrationem ſubinde recoctam paſſim quidem videre & legere licet. Sed præter ceteros in ea re aſſerenda & comprobanda maiori induſtria, nec ſine modeſtia, verſatus eſt V. CL. CONYERS MID-

DLETON, academiæ Cantabrigienſis proto-bibliothecarius, edita *de medicorum apud veteres Romanos degentium conditione* diſſertatione cIↄ Iↄccxxvi. cuius deinde *defenſio contra anonymos quosdam notarum breuium, reſponſionis atque animaduerſionis auctores*, cIↄ Iↄccxxvii. ſequuta fuit, cui quidem inſcribitur, quod ſit *pars prima*: alteram vero, aut plures editas non inuenio; ad meum ſaltem conſpectum non peruenerunt. Neque impetrare potui ipſa illa, quæ CL. MIDDLETONO in Anglia fuere oppoſita ſcripta. Quum apud Britannos contentio iſta deferbuiſſet, apud Batauos in medium prodiit D. D. DANIEL VINK, editis *amoenitatibus philologico-medicis*, quibus *medicinam a ſeruitute liberat*, multoque labore *inquirit, an medicina antiquitus fuerit ſtudium illiberale, ſeruisque tantum proprium. Traiecti ad Rhenum* cIↄ Iↄccxxx. Videri itaque poterat ſuperſedere nos huius commentationis labore omnino potuiſſe, quum vix aliquid ſupereſſe queat, de quo non in alterutram partem copioſe diſputatum fuerit. Forte erunt etiam, quibus omnino videbitur conſultius ſepultam iacere controuerſiam, quæ non ſine acerbitate agitata quondam fuit: præſertim quum ipſi illi, quibus pro ſeruitute medicorum,

apud

apud priscos Romanos differere placuit, vltro concedant & fateantur nihil decoribus amplissimis verorum, qui hodie apud cultiores Europæ gentes sunt, medicorum decedere, nihilque dedecoris affricari, si omnino nihil esset in tota re quod negari ab vllo mortalium possit. Enimuero contentionem renouare pridem intermissam neutiquam cupientes, existimauimus non ingratum lectoribus fore, si, quæ ad summam rei pertinent, paucis edisseruerimus, seruumque medicum, qualis vere fuit, ex monumentis Græcorum & Romanorum produxerimus, quo iudicari possit an iure obiici medicinæ, eiusque cultoribus huius æui, possit illorum miseria, qui, temporum iniquitate obstante, neque illud, quod homini dulcissimum & pretiosissimum esse debet, habuerunt, neque istud a quo denominationem gesserunt, quodque in seruo etiam laudandum & æstimandum erat, plerique possederunt, artem scilicet integram, quæ mortalibus tanta beneficia præstat, vt magno veterum consensu a diis immortalibus originem traxisse & ad homines delata esse fuerit credita. Et quamquam prorsus negari haud possit eorum aliquos, certe inter Romanos, ad vniuersam artem fuisse institutos; quod inferius clare probabimus: nec ex hoc tamen amplissime

con-

conceſſo medicis quicquam probro dari hodie poterit: quum pauci ſane ordines hominum ſuperfuturi ſint, quibus non obiici pariter posſit, quod numeroſos ſocios in priſcis ſeruitiis quarundam gentium, &, ſi id cupiunt, Romanorum inueniant. Id vero ex inſtituto nunc docere non eſt nobis propoſitum: neque tamen omnino disſimulandum fuit, quum mores veterum inſtitutaque in vno negotio recte æſtimare nemo posſit, niſi qui ſimul conſiderauerit rem omnem, quam latisſime illa patet. Et hoc quidem effecit, vt neceſſarium putaremus, ante quam de ſeruo medico diceremus, de ſeruo in vniuerſum diſpicere, maxime vero rem ad Græcos & Romanos referre, quum ſeruos medicos apud Græcos primum inueniamus, ab his deinde ad Romanos, vt nos probaturos ſperamus, ſero demum translatos. Quod ſupereſt lectorem beneuolum rogamus velit ſe æquum nobis præbere, & quæ libere diximus & absque disſimulatione protulimus, bonæ cauſæ fiduciam interpretari. Scilicet abunde multum gloriæ ſupereſt medicis primorum artis antiſtitum indubiis honoribus comparatum, ſi quis aliquo, quod ſuum tamen non eſt, ornari deſiderat, etiamſi innumeri concedantur fuiſſe, qui vel nulla vel aliqua ſua culpa ad inferiorem fuere

lo-

locum depresſi. Et ſi nemo antiquiſſimorum medicorum aliquo honore fuiſſet, totusque ordo non aliis & antiquioribus fulgeret ornamentis, quam iis, quæ Summorum Imperantium indulgentia ante complura iam ſæcula in illum collata ſunt: ſufficiunt certe illa, vtpote ampliſſima, ad dignitatem & nobilitatem indubiam: prorſus vt nihil opus ſit antiqua monumenta ſupprimere aut mutilare, aut coacta interpretatione ſenſum, quem nunquam habuerunt, ex illis extorquere. Illud quoque profitemur, non animum nobis fuiſſe dicere omnia, quæ de ſeruis, aut ſeruis etiam medicis, dicenda fuiſſent, ſi iuſtum librum condere voluiſſemus: ſed ea tantum ediſſerenda ſtatuimus, quæ effecerunt, vt ipſis nobis non videatur medicis vllo modo ignominioſum eſſe, quod alii, neſcio quam ob cauſam, tam anxie negatum eunt: tamquam confeſſum eſſet nihil rectum, honeſtum aut turpe iudicandum eſſe, niſi quod priſcis Romanis tale viſum fuit, illis ſcilicet, quos proprius ipſorum vates HORATIVS, vbi auream Romæ ætatem deſcribit, ruſticorum militum elogio mactauit. Faxit DEVS, vt naturæ legitimo modo inſeruientes medici, humanæ gentis plurimo fructu & emolumento, gloriam amplisſimam & honores immortales porro reportent.

§. I.

QVos Romanorum lingua *seruos* vocamus, aut *mancipia*, hi sunt illi, *qui constitutione iuris gentium dominio alieno contra naturam subiiciuntur.* Ex eo autem appellati sunt *serui*, quod victores superatarum bello gentium captiuos vendere, ac per hoc seruare, quam occidere maluerunt: *mancipia* iidem dicti sunt eo, quod ab hostibus manu capiuntur: teste IVSTINIANO *Instit. Lib. I. tit. III.* Græcis vocantur δοῦλοι, cuius etymologia non admodum clara est: reliqua vero nomina, vt ὑπηρέτης, θεράπων, θεράπαινα, non ita perpetuum ac fixum significatum habent, vt id, quod formale est in seruitute, necessario denotent.

§. II.

In seruorum conditione nullam esse differentiam, imperator enunciat *l. c.* Id vero quo pacto intelligendum sit, apud interpretes videre iuuat. Fuisse certe inter illos, qui seruorum nomine veniebant, aliquos *statu liberos*, constat: vt & inter serui publici & priuati conditionem notabilis intercessit differentia: de quo conferantur ILL. HEINECCII *antiquitat. Rom. ad instit. Lib. I. tit. III.* Si vero aliarum gentium, præter Romanos, inspiciamus seruos, non pauca obseruare licet, quæ a Romanis moribus recedunt, & seruorum conditionem diuersam ostendunt. Vt enim non negari potest-

test vbique per gentes Græca lingua vsas offendi seruos proprie dictos: fuisse tamen in iisdem populis aliquos, quorum conditio fuerit *μεταξὺ δούλων καὶ ἐλευθέρων, inter seruos & liberos ambigua*, multis exemplis, vno quasi intuitu, discimus apud IVL. POLLVCEM. *Lib. III. cap. VIII.* cui adde, si placet, STRABONEM *lib. XII. p. 542. & 701.* SVIDAM in *vocibus πενέσαι εἱλωτεύειν.* ARISTOTELEM *politic. II. cap. 7. & 8.* Qualis seruorum conditio apud priscos Germanos fuerit, clare edocet TACITVS *de morib. Germ. cap. XXV.* ex quo satis liquet, quam tolerabili fortuna vsi fuerint, si cum illis conferantur, qui Romanis seruiebant.

§. III.

De origine seruilis conditionis multum hic disputare nihil ad rem pertinet: paucis indicasse sufficiat, quod, vt probabile PVFENDORFIO *de offic. hom. & civ. lib. II. cap. 4.* videtur, primum inopia adacti aliqui seipsos vel liberos suos aliis opulentioribus addixerint, vel alimentorum ceterorumque necessariorum exhibitionem, vel certum pretium, pacti: quod quidem inter multas gentes hodieque fieri a multis itinerum scriptoribus annotatum inuenimus: iure etiam ciuili Romanorum ita permissum erat, si liber homo, maior viginti annis, ad pretium participandum sese venum dari pateretur: aut patres filios, quos in potestate habebant, vendere vellent. Sed postea, quum bella passim increbescerent, multique captiui redderentur, victoribus seruire iidem cogebantur: vt & in pœnam irrogabatur seruitus, ac spurii multis locis ad seruilem statum detrudebantur. Quocun-

que autem modo feruilem fortem aliquis fubiiffet, eadem conditio in natos etiam propagabatur: ex quo apparet, quantopere feruile genus, quod FLORVS *hiſt. III. 20. ſecundum genus hominum* facete dixit, multiplicari debuerit, poftquam femel inuentum, eiusque magnæ vtilitates, quas liberis afferre poffunt, cognitæ fuerunt.

§. IIII.

Non poffum quin paucis tantum admoneam, quam facile fuerit honeftiffimo cuiuis viro feruitutis iugo fubmitti, a quo fefe liberandi viæ non omnibus æque patuerunt. Certe legatos populi Romani, prætores cum fuis fafcibus, fummorum ducum familias & liberos in feruitutem abreptos legimus; quibus quidem tam nobilibus non videntur facile defuiffe, qui redimerent: fed & facile exiftimari poteft, multis aliis honeftis & ingenuis viris, quorum facultates per fe minores, bello autem penitus attritæ erant, eandem femet in priftinam libertatem adferendi facultatem haud fuiffe. Seorfim vero medici, in hanc calamitatem femel delati, vix inueniebant expediendi fefe vllos modos: omninoque difficilius inueniebant, quo magis felicia artis fpecimina ediderant. Cognofci illud poteft exemplo Democedis Crotonienfis, cuius infignem gloriam, artis operibus partam, fed & grauiffimam feruitutem & non nifi præclaro dolo tandem recuperatam libertatem, copiofe iucundeque defcribit HERODOTVS *Libr. III. cap 130. ſeqq.* Sed & illud facile cognofcitur vnicum talem virum ad auari domini imperium debuiffe pluribus feruis ad eandem artem inftruendis & exercendis operam dare, quo cariori pretio vernas quisque fuos diuendere poffet,

quum

quum vix aliis maius, quam feruis medicis, ftatueretur pretium.

§. V.

Si varias res publicas celebriores confideramus, haud eandem vbique feruorum copiam inueniemus. Non vacat multis inter fe collatis hanc rem oftendere: quare paucarum exempla fufficiant. Inter Græcos celeberrimæ funt Lacedæmonia & Athenienfis. Illa quidem tota comparata erat, vt vnicus ciuium labor effet militare: a quo fi feriandum effet, nihil præclarius otio exiftimabant, nihil homine dignius; quod quidem vllo teftimonio hic adducendo comprobare fuperfedeo, quum nemo effe poffit bonarum litterarum tam rudis, vt hoc non abunde norit. Quicquid igitur ad quotidianæ vitæ fiue neceffitatem fiue commoditatem requiritur, id omne per feruos agebant: quippe omnino nullam artem aliam Lacedæmonius ciuis callebat, quam hoftem cædere, feras perfequi, & ius nigrum abligurire. Vnde factum eft, vt ifta refpublica fubinde maxima damna & dedecora a feruis multis, paucis vero liberis, acceperit, notante ARISTOTELE *l. c.* Sed Athenienfium ciuitas, Mineruæ alumna, contrario ducebatur ftudio, vt liberorum ciuium valeret numero infigni, illa autem multitudo victum & reliqua neceffaria honefto labore, opificiis & artificiis potiffimum, fibi quæreret, & ex ipfa republica emolumenta perciperet.

§. VI.

De Athenienfium republica teftis nobis ampliffimus eft PLVTARCHVS in *Solone*, quanto ftudio ad artes colendas ciues deduxerit, maximeque cauerit ne

vrbs impleretur feruili multitudine. Quum vero illi, qui victum quærere mercenaria opera & opificiis coguntur, haud omnes amplum cenfum poffideant, ordinem tamen honorauit ciuitatis iure : quumque quatuor in claffes diftributa refpublica omnis effet, vltima complectebatur τοὺς θῆτας, pauperiores, qui victum opificio, vel alia mercenaria opera, fibi quærebant. His quidem ad magiftratum gerendum accedere non licebat, nec militare extra patriam; quoniam id fumtuofum erat, cogebantur : fed δικάζειν, *ius dicere* & ἐκκλησιάζειν *in concione populi verba facere*, permifit, vt duobus iftis modis ad vitam fuftentandam iuuarentur. *Quod etfi initio*, inquit PLVTARCHVS *l. c. nullius momenti videbatur, tamen permagnum effe pofterius apparuit, quod pleræque controuerfiæ ad iudices deferebantur. Nam & quarum caufarum iudicia magiftratibus tribuit*, (Solon) *earum concedebatur iis, qui vellent, a magiftratibus ad iudices prouocatio.* Conferatur, fi placet, SVIDAS in *vocibus* ἱππεῖς & θητεὺς, & *Scholiaftes* ARISTOPHANIS *ed Equit. p. 326. ad Küfter.*

§. VII.

Vtriusque reipublicæ in hac parte differentiam iucunde intelligimus ex illo omnis bonæ doctrinæ promo condo PLVTARCHO. Et Lacedæmoniorum quidem conditionem publice prodidit Agefilaus, dux Græci exercitus aduerfus Thebanos adducti. Nam quum focii caufarentur Lacedæmoniorum ad hoc bellum miflorum paucitatem, Agefilaus, quo oftenderet Spartanorum militum multitudinem, vniuerfos focios inter fe confidere iuffit, Lacedæmonios feorfim. Inde præconis voce primum figulos iuffit, poftea ærarios fabros furgere,

gere, inde lignarios, tum ædificatores, reliquosque secundum omnia artificia. Ita vniuersi fere socii, nemo Lacedæmoniorum, surrexit. Nullam enim iis artem quæstuariam addiscere aut tractare legibus permittitur, (*ἀπείρητο γὰρ αὐτοῖς τέχνην ἐργάζεσθαι, καὶ μανθάνειν βάναυσον.*) *in Agesil. pag. 610. 611.* In Pericle autem quando idem auctor exponit, cur magnus hic vir Athenas tot ornamentis, tam admirandis, exornauerit, atque tantas impensas eius causa fecerit, illam potissimum reddit rationem, quod voluerit omnes ciuium ordines locupletare, interque eos diuitias distribuere: quare maxime infimam ciuium classem, *τὸν βάναυσον ὄχλον*, longis & pretiosis operibus conficiendis occupatum reddidit. Nimirum, inquit *pag. 159.* materia eorum operum requirebatur lapis, æs, ebur, aurum, ebenus, cupressus: deinde artifices, qui in ea elaborarent, materiam ac opus conficerent, fabri, figuli, ærarii, lapicidæ, infectores, aurifabri, sculptores eboris, pictores, phrygiones, tornatores: item qui materiam adueherent, in mari mercatores, nautæ, gubernatores, in terra fabri carpentarii, ii, qui equos ad currus trahendos alunt, aurigæ, restiones, textores, sutores, viarum paratores, metallorum fossores. Sub vnaqualibet artium, tamquam suo duce, erat exercitus suus hominum priuatorum, ac mercedis caussa operas locantium, tamquam instrumentum & corpus, quo ars suum opus perficeret. Ex quo quidem loco satis, vt arbitror, elucet, ex quibus hominibus constiterit *τὸ θητικὸν πλῆθος*, infima seu quarta classis ciuium Atheniensium, quos omnes Lacedæmonii ad seruilem conditionem detruserant.

§. VIII

§. VIII.

Venimus ad Romæ prifcæ confiderationem, qualis illa fuerit in hac quidem parte, quæ ad feruos fpectat. Huius autem vrbis originem primam ex latronibus, feruis fugitiuis, defertoribus, & huius generis hominibus, qui ob mala facinora, aut æs alienum, ad afylum nouum perfugerant, fuiffe conflatam, ne ipfi quidem Romani fcriptores negant, vt nec diffimulant, quod nullum honeftum virum permouere potuerint, vt filiam fibi in matrimonium traderet, quare virginum Sabinarum raptu opus erat, nifi genus omne fuum vellent intercidere. In his quidem, quum poft Romuli fata rex defignaretur Numa Pompilius, isque hominibus, qui, EVTROPIO tefte *Lib. I. c. 2.* confuetudine præliorum iam latrones ac femibarbari putabantur, leges morefque conftitueret; videtur quidem rex optimus Martiam fuorum indolem, Lacedæmoniis fimilem, ad manfuetum Mineruæ Atticæ genium voluiffe inflectere; fed idem, in hoc quidem, fatum expertus effe cum Lycurgo, quum is feminarum Lacænarum mores bonis legibus corrigere tentaret. Scilicet Romuli inftitutum fuerat, prodente DION. HALICARNASSEO *antiqu. Rom. L. II. p. 98.* ne quis fuorum exerceret ἐπιδιφρίους, καὶ βαναύσους τέχνας, *fellularias & manuarias artes*, fed tractandas eas δούλοις καὶ ξένοις ἐπέδωκε, *feruis & peregrinis tradidit*. Hoc erat prorfus Lacedæmonium. Sed Numa regno admotus, PLVTARCHO tefte, *pag. 64.* Romam εὐθὺς ἐπεχείρει ὥσπερ σίδηρον ἐκ σκληρᾶς καὶ πολεμικῆς μαλακωτέραν ποιῆσαι καὶ δικαιοτέραν, *illico aggreffus eft tamquam ferrum ex rigida & bellicofa molliorem iuftioremque efficere*

cere. Id vt impetraret, instituit collegia & corpora artificum & opificum, & eorum vnicuique generi suos peculiares conuentus & religiones præscripsit, eodem iterum teste PLVTARCHO *pag. 71.* qui nominibus suis recenset aliqua tunc iam instituta collegia. Atque hunc totum locum doctissime illustratum ab Ill. HEINECCIO in dissertatione *de collegiis & corporibus opificum* cum fructu relegere iuuabit.

§. VIIII.

Constituit itaque Numa collegia, & ciues ad industriam & honestum laborem vocare aggressus est: sed quam parum durauerit illius instituti fructus, sequentium temporum historia addocet: quum, teste DION. HALICARNASS. *antiq. Rom. lib. II. pag. 98.* satis longo tempore Romanos puduerit talium operum, ita vt ex indigenis nemo animum eo adpulerit. Quin successor Numæ, Tullus Hostilius, contrariam in partem omnia vertit, & omnem rempublicam militarem reddidit. Non vacat rem clarissime descriptam ab Ill. HEINECCIO repetere: sufficiat dixisse, post irritos Seruii Tullii conatus, vltimum tandem Romanorum regem Tarquinium collegia omnino sustulisse, atque ab illo tempore iacuisse, donec plebs, oppressionum a patriciis pertaesa, tribunos sibi dari impetrauit, tandemque ius etiam honorum & sacerdotiorum senatui extorquere cœpit. Deinceps restituta collegia fuerunt, iisque, qui adscripti illis erant, suffragii etiam ius fuit permissum, vt, indignantibus quidem patriciis, omnium ab vniuerso populo Romano sanciendorum ac constituendorum participes fuerint.

§. X.

Neque tamen hæc res efficere valuit, vt non seruorum incredibilis multitudo Romæ superesset, quum nobilissimus quisque ac opulentissimus Romanorum diuitiarum præcipuam partem illam existimaret, habere rei domesticæ animata instrumenta quam plurima. Rem hanc docet nos PLVTARCHVS in *M. Crasso p. 543.544.* cuius quum diuitias incredibiles exposuisset, hæc addit: *Quum autem permultum argenti, prædiaque pretiosissima, possideret, inque iis operarios quamplurimos haberet; hæc tamen omnia parui ducenda existimari debebant, cum mancipiorum eius pretio collata: tot ille talesque seruos habebat anagnostas, scriptores, argentarios, dispensatores, structores, quibus ipse docendis instituendisque præerat.* Sed forte vnus M. Crassus stolide ostentandis diuitiis modum nesciuit ponere. Absit hoc credere de Romanorum omnium catissimo & attentissimo rei parandæ & conseruandæ magistro, quem M. TVL. CICERO *offic. III. 19.* turpis lucri causa in foro saltaturum fuisse asserit: tantum abest vt prodigalitatis vel suspicio in bonum virum cadat. Porro itaque doceat PLVTARCHVS, cui vsui Crassus tot mancipia habuerit. *Maiorem*, inquit, *diuitiarum partem ex igne & bello confecit.* Forte igitur alchemiam exercuit, cinislonibusque multis indiguit, aut mineram arenariam Becheri, multo ministerio indigentem, coluit? Audies rem: *quo enim tempore Sylla vrbem bello cepit, tum vendendi Crassus accipiendique nullum finem fecit. Præterea incendia iam domesticum malum per vrbem grassari cernens, & ædificia multa nimio pondere & contignationum multitudine corruere, atque in se residere, coemtis vltra quingentos seruis,*

qui

qui architecturæ & ædificandarum domuum essent periti, deinde ædificia vel incensa, vel his vicina, a possessoribus, quos metus & incerti rerum euentus mouebant, vili pretio redemit, eaque ratione magnam vrbis Romæ partem suam fecit.

§. XI.

Ergo vere Pericles fuit M. Crassus, qui Romam ex cineribus suis resuscitauit, & diuitias suas distribuit. Immo vero nihil minus dixeris. Pericles toti Athenarum vrbi proderat, publicam pecuniam ædificiis splendidis & sumtuosis impendens, quæ per ciues curabat excitari & perfici: M. Crassus mancipia suo ære emta operibus his adhibebat perficiendis, iniquo tempore & dubio, vt felicioribus temporibus eadem ædificia, quanto maximo posset pretio, venderet, suamque crumenam plurimo lucro impleret. Ceterum ab ædificandi studio tantum abhorrebat, vt in suam gratiam atque vsum, quum tot fabros possideret, non nisi vnicam domum exstrueret, prudenter ratus, ædificandi studio laborantium vires, nullo aduersario, a seipsis comminui. Vidimus in vno Romano, quales, paucissimis forte exceptis, in seruos fuerint, quantopere illis inhiauerint, quantoque suo emolumento, rei autem publicæ detrimento, illorum opera vsi fuerint. Sed nondum discedere hinc libet, donec alia simus intuiti, inuenerimusque rationem veram, cur apud Romanos senatorius & equester ordo opificum collegiis semper aduersatus sit, resque suas omnes per seruos administrare maluerit, quam liberorum vti ministerio. Scilicet penes se solos esse neruum rerum regendarum, diuitias, cupiebant, omninoque cauendum sibi existimabant, ne quid in alios ciuium or-

dines flueret, nisi se distribuentibus, vt fauorem ac gratiam plebis, si in magistratuum petitionibus eo opus esset, sibi redimerent. Quo itaque magis indigentes plebeii essent, eo facilius redimi ipsorum fauor, quo minus egerent, eo maiori largitione demerendam plebem, facile intelligebant. Atque hæc potissima fuit ratio, cur patricius Romanorum ordo numquam collegiis fauit, &, quum impediri amplius non possent, ad nullam rem adhibuerint liberum ciuem, quam quidem per seruos possent efficere. Non enim minor solum est impensa in seruum, quam si liber homo remunerandus est: verum etiam exactio facilior est, & in illos, qui aliquid interuertunt aut male administrant, promtior animaduersio.

§. XII.

Id uero quanti fuerit emolumenti Romanis equitibus, vel vnico æstimemus exemplo publicanorum, quo ordine, CICERONE *pro Plancio c. 9.* teste, flos equitum Romanorum, ornamentum ciuitatis, firmamentum reipublicæ continebatur. Horum societates erant, quæ reditus publicos populi Romani in certa quadam prouincia, a censoribus, quibus hæc cura a magistratu permissa erat, in publico foro, ad hastam conducebant in proximos quinque annos. Intererat horum nullum vectigal, quod pensitandum erat, omittere: quumque id ex tribus potissimum proueniret, agris scilicet decumas tribuentibus, pascuis, vnde scriptura proueniebat, & rerum venalium importatione ac exportatione, quorum nomine portorium soluebatur: facile colligitur quantas familias publicani habere debuerint in amplissimis

ac

ac locupletibus prouinciis, per saltus, agros, portus atque custodias dispersas, quæ inuigilarent, ne quid elabi posset. Non dissimulat hoc CICERO *pro lege Manil. c. VI. §. 16.* & res ipsa per se patet. Iam si tot locis res per liberos homines procuranda fuisset, quantum non decessisset mancipibus, quod mercedis loco his erat tribuendum: ne dicam quanto minori negotio emungatur seruus, si forte quicquam interuertat, quam liber homo & Romanus ciuis. Nihil itaque mirum, quod Romani seruos quam plurimos habere, in magnam felicitatis partem reposuerint.

§. XIII.

Enimuero hæ rationes seruos quam plurimos habendi, etsi nec reipublicæ vere vtiles fuerunt nec honestati forte per omnia satis responderunt, excusari tamen posse videntur. Sed accesserunt aliæ prorsus inhumanæ & iniustæ, velut sunt illæ, quæ vtriusque sexus homines ære emtos impuris libidinibus tradebant, aut homines nullo flagitio pollutos gladiatorio ludo includebant, vt miseram artem ibi edocti, cæde mutua cruentum spectaculum sanguinariis Romanis præberent. Quæ res fere interitum Romano imperio attulisset bello Spartacio: quemadmodum paulo ante bellum seruile, in Sicilia exortum, Romanos erroris sui in seruitiis cumulandis arguerat, multorumque millium ciuium strage conuicerat. Sed hæc ex historiis abunde obuia mittimus, nec ipsa hæc hactenus allaturi, nisi opus visum fuisset nostratium aliquos, qui antiquos auctores parum versant, aliis nimium occupati laboribus, de antiquis rebus

 admo-

admonere. Atque hæc dicta de seruis apud Romanos, libera Rep. sufficiant.

§. XIIII.

Quum tandem illud tempus accederet, quo vitia male constitutæ reipublicæ morbos illos excludebant, quæ libertati ciuium attulerunt interitum, & equestrem ac senatorium maxime ordinem depresserunt, seruorum ordo in primis amplificatus est, ipsis iam senatoribus & equitibus Romanis, quo Cæsaribus placerent, easque dominandi in alios conditiones consequerentur, quibus serui ipsorum vel liberti gaudebant, apertissime seruilem sortem subeuntibus. Eius vero quasi præludia videmus in C. Iul. Cæsare, qui, nondum confecta, quam meditabatur, monarchia, tantum iam depresserat Romanorum nobilissimos, vt tirones gladiatorios, quos muneri in filiæ memoriam populo edendo destinauerat, neque in ludo, neque per lanistas, sed in domibus per equites Romanos, ac etiam per senatores armorum peritos, erudiret, precibus enitens, quod, teste SVETONIO *cap.* XXVI. epistolis eius ostenditur, vt disciplinam singulorum susciperent, ipsique dictata exercentibus darent. En populi Romani senatores & equites lanistas, quod nomen Tuscorum lingua carnificem denotat. Horum conditio semper seruilis aut libertina fuit. Sed longe apertior est in confessam seruitutem transitus illorum, qui, munere ab eodem Cæsare in foro edito, depugnauerunt, Furii Leptini, stirpe prætoria, & Q. Calpeni senatoris quondam actorisque causarum, de quibus apud eundem SVETON. *cap. XXXIX.* Quin Pyrrichiam tunc saltauerunt Asiæ Bithyniæque principum liberi:

liberi: & ludis Decimus Laberius, eques Romanus, mimum suum egit. Octauius Augustus ad scenicas quoque & gladiatorias operas etiam equitibus Romanis aliquando vsus est. Confessæ seruitutis hoc signum est: auctorati enim iurabant vri, vinciri (an *virgari?*) ferroque necari: de quo plura cupientem amandare liceat ad IVST. LIPSIVM *Saturnal. lib. II. cap. V.*

§. XV.

Quantum vero cunque Romani supercilium ponerent, Cæsaribusque semet subiicerent, raro tamen vlla in re Cæsares patriciorum opera vsos esse videas, quam per seruos suos efficere poterant: præsertim si tale esset negotium, a quo rei parandæ & locupletandæ ansa præberetur: prorsus vt nunc paterentur id a Cæsaribus, quod ipsi tenuioribus ciuibus intulerant. Sed melius hoc exemplis discemus. Intueamur Claudii Cæsaris seruum Drusillanum, cognomine Rotundum, dispensatorem Hispaniæ citerioris, hoc est, nisi me omnia fallunt, procuratorem Cæsaris. Commemorat ipsum PLINIVS *hist. natur. L. XXXIII. c. XI.* non sine conspicua indignatione, quæ ipsum videtur prohibuisse, ne consuetam appellationem ipsi tribueret. Facile autem apparet, non tam iratum fuisse ob lancem argenteam quingenariam, aliasque octo eius comites quinquaginta librarum, quam quod tam opima, tam late patens prouincia seruo procuranda a Cæsare commissa erat. Non minus enim quam duas tertias totius Hispaniæ hæc vna citerior complectebatur inde ab Augusti æuo. Nam quicquid supra Durium in septemtrionem vergit, omne eo referebatur; deinde quicquid a Carthagine noua per

Tole-

Toletum ducta ad Durium linea, vsque ad Pyrenæos montes hinc superest, omne citerioris Hispaniæ nomine censebatur. Alium commemorat idem PLINIVS *lib. VII.39.* qui sub Neronis principatu belli Armeniaci, propter Tyridatem gesti, dispensator fuerat, quem Nero H-S. CXXM. manumisit. Ne dicam de senatoriis ornamentis, & prætoriis, quæ principum gratia libertis suis impetrauit: de quibus videatur idem PLINIVS XXXV. 18. & SVETONIVS in *Claudio cap. XXVIII.* Quæ quidem auctoramenta satis efficacia fuisse videntur, vt seruire Cæsaribus non adeo multi valde refugerent: quamuis nondum inuenire medicos licuit, de quibus asserere possim, quod, senatores & equites Romanos imitati, seruitutem sponte sua subierint.

§. XVI.

Atque hæc dixisse de seruis veterum, & seorsim Romanorum, in vniuersum sufficiat. Tempus enim iubet ad seruum medicum propius accedere, quo ipsius etiam vera imago omnibus exhibeatur. Vt autem felicius versari in illo eruendo possimus, supponere nobis ex historia medicinæ liceat, quod alibi probatum est, antiquissimam medicinæ partem esse chirurgicam: cuius quidem fidem facit CORN. CELSVS, ad HOMERVM non inscite prouocans, *Lib. I. præf.* Quum vero ad morbos alios etiam curandos ars descenderet, antiquissimam fuisse diæteticam curationem, cui demum accessit, sat lentis passibus, pars illa, quæ medicamentis ore exhibendis, aut exterius admouendis, omnium morborum medelam pollicetur. Iam vero quis non videt, quam multa sint in chirurgica & diætetica medicina, im-

mo

mo etiam in pharmaceutica, quæ vnus vir non possit omnino solus præstare, aut quæ multis occupatus recte præstare non queat? Cogitemus membrorum luxatorum aut fractorum repositionem, quæ sæpe plures delassat, neque tamen a quouis rerum harum imperito potest adiuuari. Hinc est, quod HIPPOCRATES *de decent. orn.* §. *IX.* & *XI.* requirit τὴν ὑπουργίην, *ministerium*. Tale ministerium medico Asclepiadæ, qualis erat Hippocrates, præstabant discipuli, vnde §. XII. de delectu inter hos habendo ita præcipit: *sit autem ex discipulis aliquis præsens curando: deligito autem ex ipsis eos, qui iam in arte progressum fecerunt, quo ea, quæ in arte vtilia sunt, addant, aut secure offerant. At vero imperitis nunquam quicquam procurandum committes.* Hi discipuli antiquissimis Græciæ temporibus non alii erant, quam Asclepiadarum filii, qui a teneris, quod aiunt, vnguiculis, ad artem deducebantur, suique tirocinii annis ministrando senioribus artem accipiebant, salutari instituto. Ita enim eueniebat, vt tales euaderent, quales requirit HIPPOCRATES *de articulis* §. IX. *multarum*, inquiens, *rerum peritum medicum esse expedit, vsque adeo etiam frictionum.*

§. XVII.

Enimuero Hippocratis ætas in id tempus incidebat, quo Asclepiadarum medicinæ fatalis ingruebat terminus. Illo quippe tempore iam multi vel plane non Asclepiadæ artem exercebant, a ciuitatibus & rebus publicis stipendio annuo conducti: vel ipsimet Asclepiadæ relictis suis, vt ita dicam, canonicatibus, περιοδευταὶ fiebant: quibus ipsemet noster Hippocrates semet adiungebat, qui Co relicta, aut, vt hostes eius, hæreti-

cum hunc denigraturi, calumniati sunt, ob nescio quod crimen fugiens, Thessaliam & Thraciam peragrauit. Talibus vero extra institutum Asclepiadarum viuentibus, si ipsi libros non haberent aut discipulos non illico inuenirent, nihil erat commodius, quam seruos suis vsibus aptare, quibus permitterent & demandarent ea, quæ per se vel nolebant, vel non poterant, agere. His vero quando domialis aliquid acciderat, variam potuisse fortunam euenire, facile colligitur: vnde vnam seruorum medicorum originem licet cognoscere. At vero circa eadem tempora accidit medicinæ aliquid, quod faciem eius vniuersam mirum in modum mutauit, seruorum autem medicorum pullitiem non minus fœcundam intulit, quam si locustæ fato quodam in agros alicuius fertilis regionis semel fuere delatae.

§. XVIII.

Scilicet per sæcula iam complura inter homines Græca lingua vsos fuerat institutum athleticum; quod & gymnasticum dicitur. Illud initio quidem suo gloriæ tantum causa a nobilissimis totius Græciæ viris exercebatur. Mox etiam ad sanitatis & boni habitus acquirendi & conseruandi scopum transferebatur, certisque legibus circumscribebatur. Dirigendæ rei adhibebatur medicus, quem ὑγιεινὸν vocabant: illeque omnia, quæ ad rerum illarum, quæ vulgo vocantur, non naturalium vsum pertinent, præscribebat. Inde nascebatur diæta ahtiletarum, in qua crebra erat enematum necissitas, inunctionum, frictionum, balneorum quotidianus vsus. In tanta autem multitudine τῶν γεμναζομένων, *exercitatorum*, opus sane erat multis hominibus; qui ad nutum & iussum

sum τοῦ ὑγιεινοῦ, cuius talia administraret: vnde consequitur, cuius gymnasio multos adhibendos fuisse, qui talia peragerent: quumque viliora essent, quam vt liberi, illo quidem Græciæ statu, istis sese offerrent: iam noua seruorum vel opportunitas vel necessitas enascebatur. Erat vero & aliud in instituto athletico, quod sæpe necessariam faciebat chirurgicam curam. Nam vbi homines saliendo, luctando & pugillatu exercentur, crebræ enascuntur occasiones luxationem & fracturarum, contusionum etiam a pugnis inflictis, hinc sugillationum, tumorum, inflammationum, suppurationum, apostematum, vlcerum. His omnibus quum ὁ ὑγιεινὸς suos etiam adhiberet seruos, non iam solum sibi videbantur & aliis artem boni habitus comparandi & conseruendi perfecte callere, vbi per multos annos in gymnasio seruiuerant, verum etiam chirurgiæ plurimorum casuum perquam gnari. Veroque simile est tales vel a minus felicibus vrbibus pretio emtos, vel a magistris libertate donatos, initium fecisse illius sane antiqui dedecoris, quo ipsius iam Hippocratis æuo plures luxata reponendi enchireses a gymnasiis repetuntur: quæ res tandem in Græcia ita incoleuit, vt temporibus ORIBASII nullam talium chirurgiam fuisse, nisi penes exercitatorum præfectos, clare appareat.

§. XVIIII.

Circa idem tempus, quo HIPPOCRATES COVS floruit, vixit etiam PRODICVS, seu HERODICVS ille, qui rem gymnasticam ad medendum corporibus morbo aliquo tentatis transtulit. De hoc quidem viro alibi plenius paulo diximus: nunc sufficiat indicasse,

quod, PLATONE *politicor. III. p. 399.* & PLVTARCHO *de ser. num. vindict. p. 359. edit. Bas.* teftibus, primus gymnafticam medicinæ mifcuerit, hoc eft, artem boni habitus conciliatricem & conferuatricem eo adduxerit & accommodauerit, vt corporibus certo iam morbo conflictantibus, ad ipforum incrementa præoccupanda, prodeffet, aut prorfus fanitatem integram iisdem redderet. Quin ipfe in fefe felix fpecimen noui inuenti dedit: quippe εἰς φθίσιν, ἀνήκεστον πάθος, ἐμπεσὼν, *quum phthifi, morbo alias incurabili, correptus effet*, exercitationum beneficio ad confpicuam ætatem productus fuit. Hæc res quum ipfi bene fucceffiffet, non deerant qui vitæ longioris cupiditate eiusdem artis præfidio vterentur: eoque tandem valuit, vt eueniret, quod PLINIVS *Lib. XXIX. cap. I.* refert, fcilicet vt *inftituens quam vocant iatralepticem, reunctoribus quoque medicorum ac mediaftinis vectigal inueniret*. Paucis iuuandus hic eft lector, vt Plinium facilius intelligat. Antea dixerat de templis Aefculapii, in quibus antiquiffima Græcorum medicina exercebatur. Ab horum feptis difcedens, poft complures alios, etiam Hippocrates, inftituit illam, quæ *clinice* vocata eft, quoniam a medicis περιοδεύταις, extra templa obambulantibus, ad τὴν κλίνην, *lectum*, quo ægrotantes domi fuæ decumbebant, exercebatur. Hique clinici & periodeutæ fua adfcifcebant minifteria, ὑπουργίην, fiue difcipuli effent ex ingenuis, fiue ferui. Herodico autem nunc famam nouæ fuæ medicinæ exercitatoriæ crebris fucceffibus parante, effectum eft, vt non folum clinici, qui ante non longum tempus exorti erant, quæftum arte fua facerent; verum etiam illi, qui clinicorum

antea

antea vel ministri vel serui fuerant, frictiones, inunctionesque administrare, & quæ ad balnea spectant parare docti, vectigal copiosum haberent, quum plurimi essent, qui valetudinem confirmare vel emendare, ad Herodici nouam methodum, scilicet gymnasticam, cuperent.

§. XX.

Vidimus iam seruorum medicorum originem & multiplicandi eosdem occasionem apud Græcos variam, quæ omnia in hac gente ita comparata iam erant PLATONIS temporibus, quippe qui *de legib. IV. p. 563. b. & 537. a.* huius rei luculentam mentionem facit, medicorumque ὑπηρέτας, *ministros*, alios esse liberos, alios seruos, testatur; vtrisque autem medicorum nomen tribui; sed multum interesse, inter medicum ac ministros, porroque inter ministrum liberum & seruum, addocet: quem locum exhibuimus in *histor. medicin. p. 327.* §. 47. Eodem quoque modo comparatam fuisse rem cum exercitatoribus, ex eodem Platone ibidem adductum est. Atque tunc temporis Roma tam erat exigua, vt vix innotuisset iam Græcis: & ab illo æuo, quo Plato floruit, quodque cum anno vrbis Romæ CCCC. congruit, vsque ad illud tempus, quo se Græcorum rebus immiscuerunt Romani, centum & quinquaginta anni effluxerunt: Et quamquam antea, quum magnæ Græciæ populos bello subiugarent, aliquid ex rebus Græcorum accepisse videntur; morum tamen & studiorum æmulatio nulla valde notabilis elucebat, donec, bello Macedonico contra Philippum, & Syriaco contra Antiochum, feliciter confectis, manifestius cum Græcis ciuitatibus,

quibus libertatem restituerant, commercium intercedebat, huiusque gentis studia & mores quamplurimos Romæ amatores atque admiratores inueniebant. Tunc accidit, quod HORATIVS canit, *epist. II. 1. vers. 156.*

Græcia capta ferum victorem cepit, & artes
Intulit agresti Latio.

Sed & illud vere de Romanis dici tunc poterat, quod idem de Græcis posuit, *vers. 93.*

Vt primum positis nugari Græcia bellis
Cœpit, & in vitium fortuna labier æqua,
Nunc athletarum studiis, nunc arsit equorum:
Marmoris aut eboris fabros aut æris amouit. Cetera.

Quæ omnia quum facerent, & rusticitatem pristinam munditiis Græcis expellere studerent, suo tamen adhuc æuo conquerendi caussas habebat idem poeta *l. c. vers. 159.*

- - - - Sed in longum tamen æuum
Manserunt, hodieque manent vestigia ruris.

§. XXI.

Nimirum erant quidem inter Romanos viri in summa dignitate collocati, animique erectioris, qui liberaliter optimum quemque ex Græcis, qui aliqua virtute præstaret, habebant: quos inter L. Corn. Scipionem Africanum, L. Aemilium, C. Lælium, & paucos alios in sago & toga celeberrimos viros, laudare deberem, si id meum iam institum pateretur. Longe tamen plures erant, quibus satius videbatur liberalium artium fructus absque liberalitate percipere: quare loco liberorum hominum, quos modo laudati Romæ principes amicorum loco habebant & fouebant, ipsi sibi quærebant seruos grammaticos, id est qui auctores Græcos,

tam

tam ligatæ quam solutæ orationis interpretarentur & explicarent, sibique & liberis a studiis essent, bibliothecarios, anagnostas, notarios, librarios, musicos, pictores, architectas, longeque plures, quorum conditio hodie inter satis liberales achonestiores refertur. Satis magnum est, quod in eiusmodi homines, si præstantes in arte sua essent, impendebatur pretium. Sic PLINIO *hist. natur. VII, 39.* auctore pro vno grammatico data fuerunt DCC sestertia, quæ summa viginti thalerorum millia excedit: alium ducentis millibus nummum Quinto Catulo emtum, i. e. quinque vel sex millibus thalerorum, SVETONIVS *de illustribus grammat. cap. III.* commemorat.

§. XXII.

Præ ceteris autem Romani expetebant seruos medicos, postquam inter ipsos luxuria populariter grassari cœpit, ac diæta athletica penitus obtinebat, priscis Romanis vtique ignota, totaque a Græcis ad eos traslata. Diætam quum dico athleticam, non illam intelligo, qua vtebantur *οἱ νομίμως ἀθλοῦντες*, qui ad leges athleticas tenebantur tempore *τοῦ προαγῶνος*: sed laxam talem, quæ cibis in cœna maxime repleri, in multam diem protracto somno vti, mane ventriculum vomitu, intestina enematibus infusis deplere, a meridie vngi, exerceri, sudare, fricari, lauari, iterum vngi requirebat: quæ singula Romanis quotidiana fuisse neminem latebit, qui ipsorum monumenta vmquam attente legit. Atque talibus non solum sani vtebantur, verum etiam aliqua labe valetudinis afflicti primum ab his diuerso modo sibi attemperatis & ex præscripto medici imperatis, opem petere solebant: vt CORNELIVM CELSVM legenti

palam

palam constabit: neque minus ex GALENI *de sanitate tuenda libris*, quos Romæ degens scripsit, intelligitur. Huius diætæ intuitu vix non in omnibus, modo non valde egenorum, domibus, erant, quæ ad balnea & inunctiones, vt & excercitationes, commoda & apta essent domicilia: quin nec in villis talia desiderabantur, vt inter rei rusticæ scriptores COLVMELLA *lib I. cap. 6.* docet. Omnium autem clarissime hoc apparebit PLINIVM legenti, qui *lib. II. epist. 17.* & *lib. VII. ep. 6.* villas suas describens gymnasii, quod in illis fuit, omnes partes, balnei cellam frigidariam, baptisteria, vnctuarium hypocauston, propnigeum, piscinas natatorias, apodyterium, sphæristerium, aliaque huc pertinentia, accurate enarrat.

§. XXIII.

Atque hic erat Rhodus illa, qua plerumque saltandum erat seruo medico, qui dominum, quem prius exercitationibus delassauerat, hic excipiebat, fricabat, lauabat, vngebat, vnde *ἀλεῖπται, reunctores*, & composito vocabulo *ἰατροαλεῖπται*, *reunctores medici*, appellabantur. Hi erant, qui τῶν ὑγιεινῶν, gymnasii præfectorum, medicorum clinicorum, periodeutarum, aut nouæ ab Herodico inuentæ medicinæ gymnasticæ professorum, mediastini fuerant, ipsisque iubentibus & præmonstrantibus habitum aliquem in vilissima artis particula adepti, aut a talibus instituti, pretio deinde magno venditi erant. Hi vero, pro eo ac multa erant in hoc negotio seorsim obeunda, in magnis vtique familiis, varii erant, vt balneatores, fornacatores, qui ignem in fornacibus curabant, capsarii, qui vestium curam in apodyterio

gerebant, fricatores, qui frictiones ex arte peragebant, dropaciſtæ & alipilarii, qui pilis euellendis operam dabant, tonſores, qui capillos & barbam radebant, tractatores, qui articulationes membrorum molliter trahebant & ducebant. Erantque huius generis ſeruitia pro ſequiori ſexu etiam feminina, vt tonſtrices, tractatrices, picatrices, paratiltriæ: inſuper etiam ornatrices & comptrices recenſentur. Et non ſolum in priuatorum domibus hos reperimus, verum etiam in publicis balneis & thermis: quem morem hodieque inter Turcos obtinere ex itinerum deſcriptionibus facile intelligere licet. Conf. D. D. DAN. CLERICI *hiſtor. medic. part. III. lib. I. cap. 2.*

§. XXIIII.

His acceſſerunt deinde, ex Aegyptiorum quantum colligere licet, inſtituto, qui particularium quorundam morborum ac membrorum laborantium curam pollicebantur, vt ocularii, dentium medici, auricularii: quorum aliquos inſignes diuitias adeptos legimus, vt libertatem ſtupendo pretio potuerint redimere. Et ocularioriorum quidem medicorum crebram mentionem, vix tamen aliorum, quam ſeruorum, in monumentis Romanorum inuenimus: quorum neceſſitas maior erat, quo frequentius in ſuis regionibus lippitudine ſeu pituita oculorum laborabant, quod inde facile colligitur, quia vix de alio morbo cum maiori cura præcepit CORN. CELSVS *lib. VI. cap. 6. & VII. cap. 7.* cui ſi addamus AETIVM VIII. 93. PAVLVM AEGINETAM *lib. VI. 5. ſeqq.* vix ſatis mirari poſſumus mali grauitatem, quod

 meden-

medentes ad diras illas curationes, hypospathismum, periscyphismum & angiologiam deduxit: ægrotis autem persuasit vt se carnificinis istis subiicere non vererentur, vnde, si res ex voto omnino successisset, non poterant non fœdæ crebræque cicatrices remanere.

§. XXV.

Qualibus præceptoribus serui hi medici vsi fuerint, magna ex parte iam diximus. Enimuero quum Cæsari, adhuc priuato; facile fuerit seruis ad gladiaturam ære comparatis præceptores inuenire equites Romanos, immo senatores armorum peritos: quid mirum si potentiores Romani ex medicis Græcis inuenerunt, qui vel gratiam demerituri, vel pretio adducti, seruos ipsorum docerent artem; ex illis scilicet, de quibus poeta dixit:

Græculus esuriens in cælum, iusseris, ibit.

Deplorauit hanc calamitatem optimus GALENVS *meth. med. libr. I. cap. I.* cuius orationis grauissimæ partem huc adferre non piget: *Non qui melius artem callet, sed qui adulari aptius nouit, apud istos* (magnates Romæ) *magis in pretio est. Huic omnia plana peruiaque sunt, huic ædium fores patent, hic breui efficitur diues, plurimumque potest: huic discipuli multi a cubiculis, vbi iam fuerint exoleti, traduntur. Quod Thessalus ille intelligens, non solum cetera Romæ diuitibus assentabatur, sed etiam artem sex mensibus traditurum se professus, quam plurimos discipulos facile comparauit.* En præceptorem seruorum medicorum, qui non particulam artis docere pollicebatur, sed integram artem, non amplius longam, qualem veteres tradiderant, sed curtam magis & mutilam, quam breuem

uem, eam tamen, in qua audacia, garrulitas, & seruilibus ingeniis cognata assentatio, beneuolentiam & opinionem comparare & conseruare apta, mutili mancique monstri turpitudinem inuolutura & obtectura esset.

§. XXVI.

Stitimus hactenus seruum medicum apud Græcos ortum, Romamque translatum: omninoque nihil celauimus aut dissimulauimus, quod inuenire quidem licuit, ex quo possit horum hominum conditio clare perspici. Nihil nunc superest, nisi illud, vt quæramus, fieri ne possit vt vllus homo, qui ratione recte vtitur, aliquid toti medicorum ordini contumeliosum hinc eruat, quod Græci primum aliqua, quæ in arte viliora sunt, per ministros suos peregerunt, quumque liberi homines non semper suppeterent, seruis etiam ad talia institutis vsi fuerint; qui qualicunque demum modo ad Romanos delati, in hac gente, seruitiorum multitudine semper gauisa, luxuriæque magis etiam quam Græci dedita, vtpote diuitiis maioribus abundante, mirum in modum aucti multiplicatique sunt. Si nihil homini vel ordini imputari debet, quod sua culpa non accidit, aut quod impedire in potestate ipsius non fuit situm: certe priscis medicis, qui in Græcia & Romæ vixerunt ab omni seruitute liberi, exprobrari non potest, quod alii a medicina nomen gerentes seruili conditione fuerunt. Quis sanæ mentis omnibus Romanorum senatoribus & equitibus obiiciet, quod aliqui seruiles operas præstiterunt, lanistarum munia suscipientes, alii apertam ac confessam seruitutem subierunt, gladiatoribus semet immiscentes? quis causarum patronos ob Q. Cal-

peni seruitutem lacesset? quis seruilem conditionem Pro-regum vel somniando declarabit, quoniam Hispaniam citeriorem omnem vnicus seruus Cæsaris dispensauit?

§. XXVII.

Quum de Græcia tam certum sit, quod medici conditionis ingenuæ fuerint, vt vix illorum, qui ob seruos medicos Romanos tantopere declamauerunt, quisquam de Græcis tale quid suspicatus videatur: ostendendum nunc superest, quod Roma quidem seruos medicos habuerit, sed non omnes propterea medici, qui Romæ quondam vixerunt, serui fuerint. Tantoque magis videtur necessarium in hanc rem cum aliqua cura inquirere, quum non solum vulgares quidam transscriptores & rhapsodi hoc asseruerint, verum etiam doctissimi viri ad hoc saxum impegerint, persuasum habentes ante Cæsarum tempora Romæ medicum non fuisse qui non seruus aut libertus, vel peregrinus fuerit. Quod autem ad quæstionem de peregrinis pertinet, videri illa quidem posset a nostro scopo aliena: sed quum peregrinus opponatur ciuium iura adepto, minime negligenda hæc res videtur, quum ostensurum me sperem ante Cæsarum tempora Romæ fuisse medicos ciuitatis iure gaudentes.

§. XXVIII.

Non capit hic locus ea, quæ disputari solent de ciuitate Romana; quæ duobus maxime summis capitibus constat, iure scilicet Quiritium & iure ciuitatis κατ᾽ ἐξοχὴν dicto: de quo plura cupientem remittimus ad Ill. HEINECCII *antiqu. Rom. append. lib.* 1. §. *XXII. seqq.*

Nobis

Nobis hoc nunc sufficit, quod peregrinus Romæ habitus non fuerit, qui iure Quiritium gauderet, sed ciuis; etsi non omnibus ille fruebatur priuilegiis, quæ ad ius publicum Romanorum pertinent. Iam manifestum est ante Cæsarum tempora Archagathum Lysaniæ filium qui A. V. DXXXV. Romam a Peloponneso venit, ius Quiritium, dante populo, accepisse, quod CASSIVS HEMINA apud PLINIVM *Lib. XXIX. 1.* diserte scribit. En igitur medicum Romæ, ante Cæsarum tempora, non peregrinum, sed ciuem. Iam mihi audio obiectantes, vnam hirundinem ver non facere. Concedo; proptereaque plures fuisse illico ostendam argumentis, vt spero, idoneis.

§. XXVIIII.

Confido autem mihi datum ab omnibus iri, quod lex Aquilia sit ex antiquis, longe certe ante Cæsarum tempora lata & obseruata a Romanis: & quod ea non scripta sit nisi ciuibus. Iam vero illa lege cautum erat, *si medicus, qui seruum tuum secuit, dereliquerit curationem eius, & ob id mortuus fuerit seruus, culpæ reus erit. Instit. IV. tit. 3.* Ibidem quoque actio datur in medicum, qui per imperitum tam medicamentorum vsum, quam instrumentorum sinistram applicationem, seruum occiderit: vt & π. *lib. IX. tit. 2. n. IX.* ex VLPIANO obstetrix, quæ medicamentum dederit, vnde mulier perierit, eadem lege teneri dicitur. Manifestum quidem est mulierem hic poni pro *ancilla*, quemadmodum alibi in eadem materia homo pro seruo positus inuenitur. Sed hoc quidem parum refert: illud maximi momenti est, quod hic sermo non esse possit de seruis medicis, aut

de obstetrice serua, sed de medico libero, & obstetrice libera. Nimis igitur præcipitanter scripsit Vir CL. *quod apud veteres Juris peritos in seruorum familiis medicos semper recenseri animaduerterit*, neque credo Iuris ciuilis Professorem Regium, quem tamquam virum summa modestia parique eruditione laudat, in hoc auctorem ipsi fuisse.

§. XXX.

Scilicet idem accidit medicinam vel integram, vel aliquam eius partem, siue nobiliorem siue ignobiliorem, Romæ exercentibus liberis hominibus, quod alias artes vitæ vtiles professis, & in collegia certa descriptis: quos quidem satis magno numero adfuisse in illa vrbe indubium est, ea tamen conditione, vt nemo impedire posset, si quis domi suæ seruos habere vellet, per quos eadem efficeret, quæ illarum artium liberi professores & ciues efficiebant illis, quorum fortunæ non permittebant amplas seruorum familias alere. Quamquam vero nominibus suis multos tales enarrare non licet: quoniam Romanorum scriptorum, quæ ad nos peruenerunt, monumenta medicarum rerum non nisi obiter meminerunt, nulla tamen est ratio dubitandi, quin ante Cæsarum tempora liberi medici multi, sed serui medici plures Romæ fuerint, æque ac sub Cæsaribus, vbi medicorum conditio splendide honorata fuit, seruorum tamen medicorum insignis copia permansit.

§. XXXI.

Quoniam quum supra §. XXVIII. seruarum medicarum mentionem faceremus, obstetrices omisimus: nunc vero

vero contendimus obstetrices Romæ liberas ac ciues fuisse vna cum obstetricibus seruis: pauca de illis hic addere, ante quam longius prouehamur, liceat. Obstetrices seruilis conditionis fuisse apud Romanos clare elucet ex *lib. 3. Cod. Commun. de legat &c.* vbi de seruorum & ancillarum pretiis agitur, & obstetrices diserto nomine leguntur. Enimuero PLINIVS *lib. XXXIII. 6.* quando *obstetricum nobilitatem* laudat, vix cuiquam videbitur seruas illas obstetrices nobilitatis elogio notare: is scilicet, quo nemo forte acrius seruos insectatus est. Si quid coniecturis dare licet, crediderim fuisse iam tunc aliquas in obstetricio negotio præ ceteris, commendatas & famam ac gloriam adeptas, quæ non nisi nobilissimis feminis opera & consilio aderant, reliquis, quæ inferioris essent sortis, per seruas, aut discipulas liberas succurrerent.

§. XXXII.

Atque illum hominum liberorum & seruorum in Romana rep. simultaneam commixtionem, vt plerasque res, quas alibi agitabant liberi, alibi serui agitarent, non solum in vrbe licet ostendere, verum etiam rus ingressi eandem deprehendimus. Sic nihil magis solemne Romanis nobilibus erat, quam agros suos colendos seruis permittere: proinde tamen perpetuum & hoc non fuisse M. VARRO *de re rust. cap. XVII.* docet: *Omnes*, inquit, *agri coluntur hominibus seruis, aut liberis, aut vtrisque.* Longum esset addere hic quæ de liberis hominibus mercede conducendis, ut res maiores, vindemias & fœnicisia administrent, copiose ibi disserit. Atque idem grauissimus auctor *cap. XVI.* ostendit quibus villis

villis vtilius ſit ad certos & neceſſarios vſus potius habere anniuerſarios vicinos, quibus imperent, medicos, fullones, fabros, quam in villa ipſa alere artifices ſeruos, a quibus fructum illum exſpectent. Quo loco clare cognoſcitur adeo non defuiſſe medicos liberos, ante Cæſarum tempora, vt & in oppidis & vicis Italiæ fuerint, quorum opera vti poſſent per agros ſparſi ruſtici. Erunt fortaſſe, qui hoc loco exiſtiment intelligendos eſſe ſeruos medicos, quia adiicitur, *quibus imperent;* quam vero aduerſus ſcopum auctoris ſit talis ſenſus, non facilius cognoſcitur, quam ſi ipſe locus integer legatur. Multum iam diſputatum eſt de vi verbi *imperare*, quod a vetuſtis auctoribus ſæpe in illum ſenſum ponitur, quando ægrotus medici opem ſibi expoſcit, iterumque de medicis, ægroto quid faciendum ſit præcipientibus ſæpiſſime adhibetur: de quo plura cupientes adeant D. D. VINCKII *amoenit. philolog. med. p. 435. ſeqq.*

§. XXXIII.

Et ſane miraculo proximum haberi deberet, ſi Roma medicis ciuibus, etiamſi ſtrictiſſima acceptione non omnino ingenuis, plena non fuiſſet reddita ante Cæſarum tempora, quum & lucrandi in ampliſſima & locupletiſſima vrbe eſſet copioſiſſima occaſio; quod medicos facile allicit; & luxuria longe lateque dominaretur, quæ ſuſtentat & liberaliſſime nutrit plurimos; & ad illud vsque tempus ciuitas Romana infinitis Græcis data eſſet, vt ex CICERONE *pro Archia* intelligi poteſt, facileque probari copioſe poſſet, ſi hic locus permitteret amplius excurrere, aut potius temporis iniqua breuitas

uitas de finienda hac excursione non admoneret. Enimuero parum referre existimo medicorum res & negotia, siue quis obstinate contendat paucos ante Cæsares fuisse medicos Romæ honoratos, siue plurimos fuisse concedat: quum ringentibus etiam inuidis constet, primum qui oligarchiam Romæ vitiosam in ordinem redegit, iniustam medicinæ oppressionem respexisse & medicos ciuitate donasse: eius autem gloriosissimum successorem Octauium AVGVSTVM adeo non pœnituisse honorati ordinis, vt porro maxima in ipsum decora conferret, quæ inde ab eo tempore non solum Romani imperii tutelaria numina nobis conseruarunt & auxerunt; verum etiam omnes cultioris orbis Reges ac Principes confirmarunt & summa clementia conseruant. Quo magis medici omni pietate, industria & obsequio venerantur dignitatis suæ fontem, summisque monarchis & rerum dominis vitam, immunitatem a doloribus & molestiis, incolumitatemque a summo rerum humanarum arbitro expetunt, quantumque in artis potestate situm est, eo studiosissime conferunt, vt iis amplissime inseruiant, a quibus ad amplissimam dignitatem fuerunt euecti.

§. XXXIIII.

Vnicum addendum videtur, quod serui medici Romæ non desierint post illum honorem ab Octauio Cæsare in medicos collatum, sed ad vltima vsque Romani imperii tempora manserint: certo sane & indubio argumento, quod Romanis medicus & seruus medicus non fuerint idem valentia nomina: & quod valde imperiti rerum priscarum sint, qui hæc duo interse disiunctissima

sima non tam coniungere voluerunt quam vel incaute vel maligne confuderunt. Etiam hoc subiungo admodum aberrasse a vero, qui tam nude scripserunt seruos medicos Romanos illos fuisse qui chirurgiam exercuerunt, qui clinicam vero profitebantur, fuisse liberos & honoratos. Quamquam enim satis certum est aliqua, quæ chirurgi nostri hodie retinent, olim seruis solis propria & demandata fuisse: nunquam tamen negari potest, illud, quod chirurgiæ proprium est, & ex antiquissimo vsu id nomen gerit, tam apud Græcos, quam Romanos nobilissimos habuisse & maxime liberos cultores, nec tam sæpe aut tam longe a se disiunctos fuisse medicum clinicum & chirurgum, quemadmodum hodierni quidam scriptores existimant: qui mihi plane videntur nescire quid sibi velint, quando clinicum mox empirico mox chirurgo opponunt: quum nihil prohibeat eundem hominem esse clinicum, chirurgum & empiricum. Sed de hoc alio tempore, dante DEO, dispiciemus, nunc imponendus est

F I N I S.



NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO

DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

PRÆSES.

NOn ſatis mirari poſſum humani generis mobilitatem, qua in varias partes illud vel fauor verſat vel odium abripit, efficitque vt quos antea vnice dilexerant mireque gratos habuerant, mox contemnant & depriment, quin contumeliis proſcindant. Non longe petendis exemplis opus eſt, quum nobis ſufficiat medicinæ primi profeſſoris, qui Romam peruenit, varia fortuna. Mire gratum fuiſſe, teſtatur PLINIVS, *aduentum eius initio: mox ſæuitiam ſecandi vrendique accuſabant, tranſiitque nomen in carnificem, & in tædium ars cum omnibus medicis. Eſto aliquid peccaſſe Archagathum, & fortunæ conuerſæ aliquam præbuiſſe cauſam: recte tamen totam rem æſtimantibus ſi non artificis, tamen artis innocentia eluceſcit. Romani caruerant ad illud vsque tempus medicis maſculam chirurgiam exercentibus, & ex Pythagoreorum, forte etiam Etruſcorum, diſciplina habuerant incantationes quaſdam, quibus dolores ſedarent, luxa reponerent, alia emendarent. A curationibus generoſioribus abſtinuerant medici, quos ex Græcia magna habere antea potuerant, e Pythagoræ*

ſchola deducti: ſanguinem hi non miſerant, ſcalpellum non admouerant ſanæ cuti incidendæ: quæ omnia quum faceret hic ex Peloponneſo aduena, alius diſciplinæ alumnus & ſuperſtitioſis minus addictus, iam obnoxius calumniæ fiebat, quum laudari etiam meruiſſet. Tulit itaque bonus vir non ſuæ culpæ meritum, ſed erroris alieni ſibi acerbos fructus, totique ordini longo etiam interiecto poſtea tempore haud iucundos, primus in illa vrbe collegit. Sed non illud ſolum exemplum oſtendit quam expoſita ſemper inuidiæ ars noſtra fuerit. Fabula fertur ipſum Iouem Aeſculapio, quod mortuos ad vitam reuocaſſet, indignatum fulmine ſuo ipſum tandem percuſſiſſe: quid mirum igitur ſi Ioue longe inferiores medicis de humano genere optime merentibus inuident, ipſosque, ſi non fulmine petunt, quod paucis licet, Theonino tamen dente arrodere conantur. Id vero tale eſt, vt ſapiens æquo ferre animo debeat, ſeque ſolari vulgari verſiculo, verbis quidem non adeo comto, ſed veriſſimo:

Nam ſicuti nunc it, ſic ſemper it iuit & ibit.

Neque conſultum exiſtimo cuiuis calumniæ illico reſpondere, quoniam male defendendo multi cauſam optimam perdiderunt. Sic iſti futiliſſimæ accuſationi, tamquam medici per ſexcentos annos Roma fuisſent pulſi, in qua ne γρυ *quidem veri eſt, peſſime re-*

ſpon-

ſponderunt viri clariſſimi ALMELOVEENIVS, BRVNNERVS, CLAVDERVS aliique medici, quippe, tamquam agnoſcentes obiectum crimen, de eo tantum laborarunt, ne indecorum ordini eſſet, quod olim iniquius fuiſſet Romæ in aliquorum culpam animaduerſum. Sed nec illud velim arrogantius & ambitioſius oſtentari vera artis decora, quippe oculos inuidorum facile præſtringentia, & pituitam, grauem morbum, inducentia, quæ deinceps efficit vt nihil acute videant, ſed vbique vitium detegere ſibi videantur. Illud nos diu monuit VIRGILIVS:

Paſtores edera creſcentem ornate poetam
Arcades, inuidia rumpantur vt ilia Codro.
Aut, ſi vltra placitum laudarit, baccare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

Recte TV quidem, nobiliſſime & doctiſſime Dom. Candidate, feciſti, quod ſeruum medicum non amplius palliandum inuoluendumque exiſtimaſti, ſed protrahendum potius, & qualis reuera fuit, detracto omni fuco, ſiſtendum exiſtimauiſti, quo pateat nihil hic ſubeſſe myſterii, quod verorum medicorum gloriæ officiat. Qui ſplendida olim ædificia excitabant, fere ſolebant illis addere μορμολύκειον *quoddam, & qui bellos puſiones extra domum emittebant, collo olim appendebant, faſcini auertendi cauſa, amuleta quædam figuras ſæpe monſtroſas aut non ſatis verecun-*

das habentes. Esto igitur seruus tuus medicus illis concessus, quibus oculus dolet ex conspectu fulgidi aeris in honorem medicorum cusi & signati, cuius largam copiam proferendo & Britannis suis ostendendo illustris vir RICHARDVS MEAD multos fecit οἰμώζειν. *Cum hoc nunc fabulentur, laudent, rideant, aut si placet, eum corrumpant & seruilis ingenii documentum quoduis capiant: TIBI cum omni genuina Asclepii prole sufficit,* πρὸς Θεῶν ἐντίμως κειμένη ἡ ἰητρικὴ· οἱ δὲ ἰητροὶ θεοῖσι παρακεχωρήκασι. *Quod superest gratulor TVIS in arte salutari maxime conspicuis profectibus, quibus patriae tuae, quam feliciter opto contingas, plurimum TE profuturum esse vt spero, ita auguror; immo potius confido, postquam virtutis & eruditionis TVAE conspicua documenta tot ac tanta apud nos dedisti, vt nemo sit, qui non abunde TIBI fauere debeat. Scripsi a. d.* VIII. *Maii*
CIϽ IϽCCXXXIII.

So ist so bleibt es denn Dein fest gesetzter Wille
Durch Deinen Abschied werther Hertzens-Freund,
Das Band so unsre Brust bisher vereint,
Das Band, so unauflößlich ist zu trennen?
So soll ich nicht hinfort bewundern können,
Wie herrlich sich der Frühling Deiner Jahre
Mit reiffen Früchten ächter Weißheit paare?
Wohlan! ich schweige nicht, bey diesen Vorsatz stille.

Ist Mund und Kiel zu schwach nach Würden zu bezeugen,
Was für ein Trieb Dir meine Brust geweyht,
Und läßt sich Deiner Gaben Seltenheit
Nicht in den Raum gemeiner Lieder schrencken,
So will ich doch auf treue Wünsche dencken;
Doch weil die Feder nicht zu schreiben waget,
Was Aug und Hand Dir im Vertrauen saget,
So ist auch dis genug: den Willen nicht verschweigen.

Ich will denn ohne Dich mit Dir vereinigt leben,
Und auch entfernt an Deinem Wohlergehn
Und Wachsthum meine Lust und Freude sehn.
Vermag ich sonst nicht Deinen Ruhm zu mehren,
So soll doch diß ein jeder von mir hören:
Daß Dich ein Geist, der liebens-werth, bewohnet,
Wie aber Fleiß und Tugend sey belohnet
Wird Dein gelehrtes Lob uns künfftig Nachricht geben.

Hiermit wolte dem Herrn DOCTORANDO als seinem gewesenen werthesten Herrn Commensali sich zu fernern Andencken empfehlen

P.C.H.D.
Medicinæ Cultor.

Ergo

Ergo per antiquas cupis inclarescere laudes,
Et nova priscorum nomina fama dabit.
OPTIME SVECE TIBI? generoso differis ausu
De veteri Medicae nobilitate rei;
Effigies, statuas, atque ornamenta, salutis
Queis coluit patres Roma vetusta suae
Regia lectori monstras; opprobria tollis,
Falsiloquosque, docens vera, silere jubes.
Euge bonum coeptum! summis quod laudibus arti
Tota Machaoniae sacra corona canet.
Ipse salutiferae doctrinae Praeses Apollo
Jam sua, sponte TIBI templa patere jubet,
Deque novis famae justissima gaudia servans
Vindiciis, laurum tradit & ipse togam.
Nec satis haec, Decori superaddit jura recenti,
Antiqui numen queis coluere suum.
Et pare quo tantum compenset munere coeptum,
Nomine TE dignum judicat esse suo.
Ergo novus patriae venies ac Magnus Apollo:
Sed mihi priscus, idem, Magnus Amicus eris.

ERNESTVS GOTTHOLD STRUVE,
Primislavienf. Vckaro-March.
Med. C.

